



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 10. De Purificatione Beatissimæ Virginis, & reditu ex Bethlehem ad
suam domum Nazarethanam; quàmq[ue] Domina Nostra æstimaverit
hanc sanctam Domum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

retur omnes meos amicos, ac amicas reddere participes hujus Festi, sicut alterius reddiderat die Nativitatis: atque statim respiciens, vidi illos adesse. Tum Dominus dixit: Nuper illis dedisti Divinum panem, qui tibi fuerat datus, da illis modò aquarum Divinam hujus fluminis. Et cucurri arrepto magno vase, quod mihi fuerat oblatum, hausique illam aquam fluminis, & dedi ex ea omnibus; quâ fuerunt, ut videbatur, omnes satiati & exhilarati, ac recreati, & confortati. His peractis, largissimam benedictionem dedit Dominus omnibus Sanctis; ego verò fui reducta domum.

§. VII.

Addamus hîc, quod illi contigit alio anno 1615. Die Epiphaniæ. Cum valdè vexaretur à suis doloribus, dixit suis sanctis Angelis: Domini, in Festo trium Regum

celebrata fuerat magna solennitas in Cœlo: sed ego eam non vidi. *Et ipsi responderunt: Videbis illam in æternitate. Tunc illis dixit: Vellem ipsos videre solenniter celebrantes aliquod Festum; statimque illi comparuerunt eleganter vestiti, & splendidissimi. Protulerunt quadam instrumenta musica, quæ videbantur esse sambuca, pandura, & fides, atque melodiæ & harmoniâ cœlesti concinuerunt suavissimè certos versus, quos illa ipsa ex vehementia ardentis affectus erga suum DEUM composuerat, constantes magis inflammatis animæ suspirijs, quàm artificiosa consonantiâ. In his se ipsam aliquoties nominabat Ancillam Domini, & Angeli inter canendum substituebant vocem Sponsæ, loco Ancillæ, quos illa corripbat, sed ipsi prosequabantur substitutionem vocis.*

(e)**(a)

CAPUT X.

De Purificatione Beatissimæ Virginis, & reditu ex Bethlehem ad suam Domum Nazarethanam; quàmque Domina Nostra æstimaverit hanc sanctam Domum.

§. I.

Dum essem, ait, collecta, meo more, aliquando manè, prope Festum Purificationis Anno 1597. vidi sanctissimam Virginem, in stabulo Bethlehemitico sedentem cum suo pretioso Filio in brachijs, formosiorum quam possit cogitari, & in corpore suo ac vultu præseferbat ætatem quatuordecim vel quindecim annorum. Ad latus ipsius stabat sanctus Joseph, quem admirabiliter aspexit & cœpit alloqui, magnâ humilitate, ac sancto quodam amore, & reverentiâ cum ipso conferendo, ubi reperturi essent turtures, vel columbas pro oblatione, quæ peragenda esset die suæ Purificationis. Sanctus Conjunx respondit quàm humillimè, & reverentissimè dicendo, quis ea in re esset modus servandus. Deinde sanctissima Virgo surrexit ex loco,

in quo federat, reclinavitque suum pretiosum Filium in præsepio, ac tum illam aspexit, vidique pulchriorem, ac speciosiorum, quàm unquam ipsam viderim. Erat sanctum illius corpus mediocris staturæ, conspicuum modestiâ, gravitate, & animi demissione, atque compositione cœlesti; vestem habuit coloris ac formæ honestæ, & modestæ, itâ tamen, ut hic ipse vestitus representaret quandam Majestatem, ac tantum Dominium, ut nemo illum conspexisset, qui ipso considerato, non dixisset, eam Dominam esse magnam aliquam Reginam, & eum vestitum esse tam pretiosum ac sumptuosum, ut omnes mundi divitiæ cum eo comparatæ, essent sordes. Gestabat in capite velum quàm honestissimè expansum, longum & candidissimum, cujus una extremitas defluebat super humerum ipsius sinistrum, altera vero ambi-

Aa 3

bat

bat collum, ac dorsum, & recidebat ad humerum dextrum, atque sic apparebat quam formosissima. Rapiebat mihi cor ejus aspectus, & ex Divino instinctu, nesciens, quid vellem dicere, pronuntiavi Antiphonam: *Salve Regina*, usque ad finem, cum magno meae animae solatio, audiente me ista Dominam, neque se movente ex loco, in quo erat. Converti deinde oculos ad praesepe, ubi reliquerat Infantem, quem clarissime vidi cinctum Angelis; & qui in ipso se mihi manifestavit, DEUM, ac Dominum Nostrum, potentem & Magnum: atque in hoc DEO vidi & cognovi tres Divinas Personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; ac mirata sum, videns stupenda, quae suo mihi lumine manifestabat: & ab ipso Domino mota, cognoscendo ex ejusdem illuminatione nostras necessitates & miseras, incepti dicere ad Personam Filij: *Christe audi nos: Christe exaudi nos*: ac deinde dicebam ad Personam Patris: *Pater de caelis DEUS, miserere nobis*, & sic ulterius progrediendo, petebam misericordiam ab omnibus tribus Divinis Personis, uno solo DEO, ac Domino Nostro: convertensque me ad Angelos, qui aderant praesentes, rogabam illos toto meo corde, ut intercederent apud DEUM pro nobis miserabilibus & indignis. Deinde vero me converti iterum ad sanctissimam Virginem, rogans ipsam, ut ageret Nostram Advocatam, ac Patronam apud Divinam Majestatem, nosque duceret ac tueretur in hoc exilio, ac valle lachrymarum. Haec omnia duraverunt quasi duabus horis, post quae me reperi in meo angulo plenam amore sanctissimae Virginis, continuo memor modi, quo illam videram.

Postquam advenisset ipse dies Purificationis, mane inveni me in stabulo Bethlemitico, cum ista Celsissima Domina, & sancto Josepho, qui se in sancta quadam pace ac silentio disponebant pro ita ad Templum; ut servarent legem, & Virgo praesentaret suum Filium Aeterno Patri, pro salute ac remedio hominum. Atque praeparatis necessariis, vidi ipsos exeuntes ex illo stabulo; sanctissima Virgo gestabat suum pretiosum Filium in brachijs, quam comitabantur

duae feminae, ut ei inservirent, si qua reopus haberet, atque una mihi videbatur ferre turtures, seu columbas pro oblatione. Nescio quam longum fuerit iter (communiter dicitur fuisse duarum leucarum) sed mea opinione multum insumperunt temporis, antequam pervenissent ad Templum, quod erat valde altum & magnum, pauci autem fuerunt in illo homines. Erat ibi quaedam sancta Femina, quae expectabat magno spiritu Redemptorem. In medio Templi erat ingens mensa quadrata, tecta panno, juxta quam stabat plenus spiritu ille sanctus vir DEI Simeon, vestitus more Sacerdotum veteris Testamenti, & praestolabatur sanctissimam Virginem, quia siquidem jam sciebat ex Divina inspiratione eum venturam, & allaturam suum pretiosum Filium ac Redemptorem mundi, quem erat oblatura aeterno ipsius Patri, & cujus solius videndi gratiam optaverat vivere. Postquam ingressi fuissent Templum Virgo & sanctus Joseph, iverunt recta ad sanctum senem, quem sunt inclinatione corporis venerati, & ipse cum maxima humilitate, reverentia ac laetitia suae animae, accepit in ulnas suas Redemptorem mundi, atque cum hoc magno gaudio inchoavit alta voce, in praesentia illius sanctae Feminae, de qua dixi, nec non reliquorum adstantium, suum illud canticum, quod incipit: *Nunc dimittis servum tuum Domine*; quo finito, loquutus est alia cum sanctissima Virgine, quae non audivi, neque intellexi, eo quod tunc essem nonnihil remota, quamvis bene sciam, quales fuerint sermones. Haec omnia duraverunt quasi duabus horis. Mansit vero in mea anima tam fixa memoria sanctissimae Virginis, qualem videram per eos dies, ut diu non potuerim illius oblivisci, ideoque mihi aliquando compaeruit ac dixerit: Itane tibi placui propter illum modum, & compositionem, cum qua me vidisti, ut intra tot dies non potueris mei oblivisci? Alia vice me videbis in veste magis pretiosa & gloriosa, quae te poterit amplius oblectare, & exhilarare; id quod praestitit: quia biduo vel triduo post, cum vacarem orationi, se exhibuit spectandam oculis animae, mirum

in mo-

in modum formosam, in veste pretiosissima & gloriosissima, coloris quasi cœlestis; quo aspectu mea anima ita fuit exhilarata, ut quodammodo fuerim aliquantum oblita prioris visionis, multoque magis istius meminerim.

§. II.

Post multum temporis (anno 1615.) mihi alio die Purificationis DEUS ostendit hoc mysterium ferè eo modo, quo alias, præsentibus multis Angelis in eadem solennitate. Nocte insequenti, præsentem Christo Domino, vidi venientem dæmonem truculentissimum, & nigerrimum in specie ferocissimi tauri, frendentem dentibus, ac diducentem oculos rubros, & nigros, ut viderentur esse titiones ignis infernalis. Appropinquavit mihi, & non longè ab illo stetit gloriosus sanctus Gabriel, aliquantò autem remotior Christus Dominus. Timebam nonnihil, quia vidi, quòd illa bestia subito tentaret suis cornibus arripere, & elevare. Ego me conabar defendere, atque etiam mentem aliò avertere, & me animare, neque curare diabolum. Sed ipse perseverabat in sua malitia, & quo magis affligebat, erat, quòd existimarem, nec ab illo videri Angelum, neque à sancto Angelo diabolum, Christus Dominus autem abiverat, me non videntem. Mansi diu in hac angustia, & pugna, ac denique diabolus obtinuit, quod intendat, meque in medio corporis arreptam cornibus terjactavit in altum; ultimà verò vice rui tanquam mortua ad ipsa brachia illius sancti Angeli adstantis, qui tunc primum videtur animadvertisse, quid ageretur: vertens enim modicè faciem, conspexit dæmonem, & dixit illi: ô proditor! & unâ manu extrahens ex suo cingulo quandam ligneam, armatam ferro, crassam & brevem lanceolam, transfixit illà diabolum, & prostravit, atque confecit. Tum accurrerunt mei quatuor sancti Angeli, & omnes vehementer obstupefacti eo casu, me collocaverunt in meo lecto, notabiliter contractam & contusam, valde solliciti de meo dolore & cruciatu. Unus autem ex illis quatuor Angelis, qui vocatur *Ra-*

phaël (Medicina DEI) dixit: Heus Domini, permittant me accedere, quia ego ex officio, quod mihi habeo à DEO injectu, & obeo apud istam creaturam, medebor damnis, quæ illi dæmon intulit. Et accedens ad me, tangensque suâ manu partes illas vulneratas & afflictas, valde me sublevavit, quavis non abstulerit omnem prorsus concussionem, ac debilitatem. Ità ab hora duodecima illius noctis, usque ad sextam matutinam mansi cum illis spiritibus beatis, qui, ut me post præteritam afflictionem recrearent, mihi exhibuerunt musicam divinissimam, cantando quendam textum de mysterio Præsentationis Christi Domini in Templo. Vidi illos splendide indutos vestibus lucidissimorum ac diversorum colorum, omnes coopertos pretiosis lapidibus, qui splendebant tanquam Soles, & habebant in suis capitibus coronas, seu diademata pretiosissima, & fulgidissima, tenebantque singuli in suis manibus instrumentum aliquod musicu, diversum ab instrumentis aliorum, & aspicientes se invicem cum maxima modestia, & gravitate, abrepti altissimâ quadam contemplatione; & admiratione stupendoru operum sui Creatoris, ac ardentes Divino ejusdem amore, cum cognitione sublimissimi Mysterij Incarnati, & Nati, ac in Templo Præsentati Filij DEI, cujus præsentationi pridie mecum adfuerant, subito suavissimè ac altissimè inceperunt edere sonu illis instrumentis musicis, concinentes sublimissimum & Divinum cantum, tam divinè mulcentem aures, ut videretur quædam repræsentatio Beatitudinis.

§. III.

Aliâ vice, triduo vel quadriduo ante Purificationem (anno 1616.) dixeram ad DEUM hæc verba: Certum mihi est, Domine, nè modicum istud, quod mihi vitæ superest, velle ita transigere, ut habeam præ oculis meam salutem, tibi que placeam & satisfaciam, ac deseram cætera omnia, videlicet, negotia concernentia proximos; & hoc dicendo non intellexi, me perperam loqui. Verum in Festo Be-

atissi-

atissimæ Virginis sui per mentis excessum in quodam vasto Templo, quod erat plenum immenso splendore, & igne quasi Divino, atq; refertum innumerabilibus Angelis. Vidi etiam subito intrantem sacratissimam Virginem cum suo Filiolo in brachijs, & sanctum Josephum, nec non modum, quo ipsam collocavit in manibus sancti Simeonis, atque omnia alia spectantia ad hoc mysterium, sicut videram alijs annis. Stabam aliquantum remota, & vehementer optabam magis appropinquare Beatissimæ Virgini, sed experiebar ingentem difficultatem, & quasi impediabar, nè possem accedere, sicut fit alicui, qui perumpit per magnum populum. Postquam autem appropinquavissem, Beatissima Virgo avertit vultum, quasi indignabunda. Mansi ibi donec finiretur mysterium, & sequuta sum Dominam nostram, dum rediret domum, ubi juxta ipsam confedi, & sanctissima Virgo mihi porrexit Infantem, quem habebat in suis brachijs. Sed ego turbata, eò quòd apud me haberem tantum Dominum, volui illum statim restituere, atque interea mihi videbatur casurus ex manibus, quo sui multò magis consternata.

Reddidi ipsum sanctissimæ Virgini, quæ illum incepit evolvere ex fascijs, & videbatur splendidior Sole; ac tum accessi, & osculata sum sacratissimos ipsius pedes. Post hoc mihi fuit dictum, quòd illam difficultatem fuerim experta in adeunda Beatissima Virgine, quodq; ipsa mihi sit indignata, & ego existimaverim parvulum JESUM calurum ex meis manibus, non alia de causa, quàm in pœnam illius defectus, cujus fueram oblita; atque ut ipsum cognoscerem & emendarem: placere enim DEO, nè intermittam juvare proximos, pro viribus, donec Divina Majestas aliud statuat.

Die Dominico post Purificationem (anno 1623.) dum agerem cum DEO, nihil tale cogitans, vidi multos Angelos DEL, gestantes manibus accensos albos cereos, & post illos sanctissimam Virginem cum suo pretioso Filio in brachijs, plenam splendoribus cœlestibus, ac tantam utriusque cla-

ritatem & Majestatem, ut eà perstricti mei oculi caligarent. Ducebant secum gloriosum Patriarcham sanctum Josephum, & sanctum Simeonem, qui videbatur exivisse quasi ad portam Templi, ut exciperet sanctissimam Virginem, stipantes utrumque ipsorum latus. Cum isto comitatu est ingressa DEIPARA Templum, & ascendit per quatuor vel quinque gradus; Sanctus autem Simeon ascendit altius, suscepitq; ex manibus sanctissimæ Virginis pretiolum ipsius Filium, ac incepit canere altà voce illud canticum: *Nunc dimittis servum tuum Domine, &c.* & postquam cessavisset cantare, venit ad me, deditque mihi illum sacratissimum Infantem, tam elegantem ac splendidum, ut caligantibus oculis, vix discernere sanctum senem, dum mihi ipsum porrigeret. Omnes Angeli se humi prostraverunt, adorantes illum, qui subito est ingressus in meam animam, habuicque visionem admirabilem ac Divinam, & fruita sum satis diu eo felici bono, in magno raptu, cumque redivissem ad me, vidi sanctissimam Virginem stantem valde mihi vicinam, tenentem in brachijs suum sanctissimum Filiolum, quâ à me discedente, finitum fuit mysterium.

§. IV.

Triduo vel quatrinduo elapso à Festo Purificationis (1597.) illi voluit DEUS monstrare reditum Sanctissimæ Virginis, post celebratum hoc mysterium, ad suam domunculam Nazarethanam, priusquam migraret in Egyptum, quod innuit sanctus Evangelista Lucas, juxta expositionem multorum gravissimorum Doctorum; estque credibile, ipsam redivisse per Bethlehem ad videndum illud sanctum stabulum, ubi peracta fuerunt tanta mysteria, supposito quòd non distiterit ultra duas leucas Jerosolymis; atque ex Bethlehem iter cepisse Nazarethum versus, quod distabat itinere quatuor dierum.

Cum essem, inquit, in mea recollectione manè, inveni me in stabulo Bethlemitico cum sanctissima Virgine, quam vidi indè abeuntem vectam asino, cum suo pretioso Filio in brachijs, tantâ compositione

tionem, modestiã ac sanctitate, ut accenderet animam sui amore. Præcedebat Sanctus Joseph cum magna reverentia & amore, atque cura de hac Celsissima Domina, deque ipsius Filiolo. Dum illos viderem jam exeuntes per portam, ad proficuum suum iter, per quendam campum, comitata sum ipsos modicum extra portam, & ibi mansi, cum tanta tristitia, ut illam non potuerim dissimulare. Videns autem Beatissima Virgo meum dolorem, ejusdemque causam, vertit se ad me, & dixit mihi: Tace, nè doleas, quia non discedo à te, iterumque te aliàs video, esto bono & hilari animo. Sic me solata est Domina Nostra, & verò stetit promissis, visitando me frequenter, præsertim post octo dies, cum versarer in meo recessu, vidi illam quasi in quadam pereleganti capella, tota inaurata, & quam lucidissima. Habebat ante se hæc Domina suum pretiosum Filium jacentem quasi in quodam humili & parvulo lecto, similiter inaurato, & pretiosissimo, assistente ibidem sancto Josepho. Erant circumquaque, multi Angeli cantantes cum magna lætitia & gaudio; ego verò audiebam musicam, tanquam eminus, non audiens quid canerent, sed quantum intellexi, erant laudes & præconia sacratissimi Pueri JESU, & sanctæ ipsius Matris, quæ advertens, quòd

hæc omnia multum mirarer, neque scirem quid ageretur, dixit mihi: Ista, quam vides, est mea domus, in qua vixi, ac habitavi, quando sum profecta Bethlehemum, ubi peperit meum sanctissimum Filium, & quam, me absente, custodiebant ac colebant hi Angeli, qui modo gaudent de meo adventu, deque novo in illam ingressu mei Filij, jam in mundo nati, lætantur & exultant.

Ex verbis sanctissime Virginis colligitur, quod semper speciali amore fuerit proficua istam Domum Nazarethanam, ubi fuit peractum intra ipsius viscera sacrosanctum mysterium incarnationis, & vixit ante partum, ac à Purificatione, & postquam rediit ex Aegypto, conuivente illi in eadem sancto Josepho, ipsoque Verbo incarnato, usque ad trigessimum annum sue ætatis. Unde credibile est, semper fuisse custoditam ab Angelis, ut in hac revelatione asseritur, qui videntes, quòd Nazarethi non esset secum, neque ibi maneret cum maiestate conveniente tali Domui, illam miraculosè transtulerunt ad varias regiones, donec ipsam tandem constituerunt Laureti, ubi modo manet, & est in veneratione omnium Fidelium, qui ibidem consequuntur insignes gratias à sanctissima Virgine, propter magnum amorem, quo fertur in hanc domum.

☉*☉*☉

CAPUT XI.

De quibusdam visionibus Pueri JESU cum sua sanctissima Matre, & magnis utriusque gratijs, quæ ipsi ab illis fuerunt præstitæ.

§. I.

Hoc loco se commodè offerunt admiranda, quas Venerabilis Marina habuit diversis occasionibus, visiones, Christi Domini Infantis, comparentis ipsi in bmcchjs sacratissima Matris, cum illam unà inviserent, & inuistatis cumularent gratijs. Referemus verò tantum continentem aliquod Mysterium, vel specialem doctrinam.

Visitavit me, inquit, sacratissima Virgo cum suo pretioso Filio, quasi Puelulo unius anni, qui denudatus, eamque amplexans stabat in ipsius sinu, & modo aspiciebat me, quasi mihi diceret, ut contemplerer pulchritudinem illius magnæ Dominæ suæ Matris, quam mihi monstrabat; modò verò illam ipse summo cum amore intuebatur, quo se erga ipsam ferri

Bb

osten-